Impressio Novissima

CARMINIS HEROICI

In Laudes, Virtutesque Eximias (nuperiùs) K. Z. P.

EXCELLENTIÆ SUÆ

Jampridem ter Honorabilis

JOSEPHI WILLIAMSON.

Quod Carmen nunc auctius, & emendatius,

Novis Typis exaravit Author, *Sumptibus*, & *Impensis*

Ornatissimi, Generossimi, Fortissimi, nuperoque
Militiæ Prætorianæ Protribuni

Roberti Peyton, Eq. Aurati,

Officii-Examinantis omnes (curiâ Cancellarii relevandos)
SUPREMI D. MAGISTRI.

Lond. ex *Fleta* sub Generosa Jurisdictione Capitanei

THOMÆ BROMHALL, Armigeri

Dictæ *Fletæ*, Proprietarii Domini, Ejusdemq; Gardiani.

Quod Carmen Inscriptum est Cordatè Cultoribus

D. JOSEPHI WILLIAMSON,

Eoq; Nomine, præcipue, præque Cæteris.

Viro

Ob spectatam morum gravitatem
Et inculpatæ vitæ Sanctimoniã
Reverendo, ac iuxta venerando

Eruditissimo, Pientissimo, Humanissimoq

D

Roberto Newlin SST
diu Doctori
Collegijq corporis Christi
(sive coll. Apium mellitissimi)
Parentali Præsidi,
quondamq celeberr. Acad. Oxoniæ
Perquam digno vro Cancellario &c

Hoc Heroicum Carmen
Ipsius climatissimo iudicio
cum Seipso
Verecunde submittit Author.

K

BRITISH MUSEUM
3 AU71

Vtriusque Primariis, & Publicis *Academiæ* Luminibus.

Sed (apud *Oxonienses*) Illi præsertim
Septentrionalis Syderis Luminari plusquam privato,
Conjugisque *Westmorlandi-Cumbri* Zodiaci, Signis hodie Bissenis:
vel strictius,
Unà cum præsentissimo Collegii *Reginalis* Præposito,
Duodecim Venerandis, & Reverendis *ejusdem* jam Sociis,
Honoratiss. *Josepho Williamson*, eq. aur. legum diu Dri. &c.
Rdo Dom. *Johanni Skelton.*
Rdo Dom. *Thomæ Crosthwaite.*
Rdo Dom. *Gilberto Wharton.*
Rdo Dom. *Johanni Milne.*
Rdo Dom. *Thomæ Macbel.*
Rdo Dom. *Thomæ Dixon.*
Rdo Dom. *Philippo Nanson.*
Rdo Dom. *Gulielmo Sympson.*
Rdo Dom. *Johanni Troughere.*
Rdo Dom. *Gulielmo Warde.*
Rdo Dom. *Johanni Halton.*

Vos hèic pie compellatos, orat Parens hujusce Partus *Puerilis*
(Schedâ proximâ per *Episcop.* ac *Archdiaconum* confirmandi)
Ut stetis ad hunc *Fontem* præliminarem candidi *susceptores*,
unde
Fidem, Famamque corroborabitis infantilem
(*Venerandi, Reverendique Collegæ*)
Vobis, & vestratibus, affectuosissimè devoti, P. F.

Typis *Gulielmi Downing*, vico Sti *Bartholomæi* Majoris, 1677.


SUB VMBRA ALARUM TVARVM

Præfecto, Sociisque *Coll: Reg: Ox.* Hoc Eorum Scutū Collegiale DD
author, Ipsis (*in huius Poematis gratiam*) Scutum *prælimināre* Suissi-
= morum Ios. Williamson, *in publicū, benevolè promoventibus*.

Præsuli Plurimum Reverendo,
Primorumque **Prælatorum** *nemini Secundo,*
Quia Doctissimorum nostri Syderis Antesignano;
Conspicuoque defætatæ Pietatis, Integritatis,
ac Humanitatis Exemplari

D. Thomæ Barlow,

Lincolniæ *Diœcæseos, Angliæ diffusissimæ, Domino Episcopo;*
Nuper **Oxon.** *D.* **Marg.** *Professori, & Archidiacono,*
Ibiq; **Col. Regin.** *vigilantissimo diu Præposito,* &c.

Ejusque Successori Dignissimo
Eruditiss. Pientissimo, Consultissimoque

D. TIMOTHÆO HALTON,

R^do *Diœceseos* **Menevensis,** *ac Oxoniensis Archidiacono;*
Ibique **Col. Regin.** (*cujus diu Socius eminuerat*)
Desideratissimo tandem Præposito;
Hominum, Aularum, Regionumque Perlustratori **Lincæo,**
Linguarumque Polyglotto;
Familiæque suæ perantiquæ, dudumque perquam splendidæ,
Ornamento plusquam vulgari.

Necnon Istius perantiquæ, Famosissimæque **Fundationis,**
(*Et præ cæteris, quoad* **Doctrinam,** *disciplinamq; spectatissimæ*)
Eruditissimis, Humanissimis, Ornatissimis Sociis, Collegis,
Cultoribusque **Suissimorum** *charissimi*

JOSEPHI WILLIAMSON.

Ad veneranda Quorum Virtutum, Nominumque Delubra,
Hoc hodie Musarum luculentius, & immaculatius Oblatum
Verecundè devovit Author.

Prælegendas prolixiores has Notas Peregrinis, proponit Author.

Pag. 2. lin. 8. Quoàd Inſignia, ter Honorabilis Ille *Joſephus* geſtat, *in aureo Campo Tria nigra Trefolia; Criſtaque demi-Aquilam rubrum, nigris alis, Corona Ducali exſurgentem, Roſtroque præportantem minuſculum Trefolium.* Cujus Herbæ (Sanctæ Trinitatis Symboli) natura eſt, teſte *Plinio, Iſidoro, Gerrardoque* ſemper vernare; tantæque eſt exiſtimationis apud *Hibernos* (Quam, vernaculâ *Shamrogge* vocitant) ut non modo communibus apponant acetariis, ſed 17*mo* Martii, publicè Pileis oſtentent; Quo die, Gens illa converſa eſt per ipſorum *Sanctum Patricum*; Qui, ſub aprico Campo concionatus Illis de Myſteriis Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ut tunc, Incredulis Fidem Nervoſius inculcaret, Gramen *Trefolii* diſcerptum palàm circumſtantibus oſtendit, inquiens, *Mi Filii, Quid dubitatis? quid ambigitis? En! Planiſſima ſunt, Quæ vobis prædico, nam proùt hoc Trefolium Quod cernitis, Folia tria gerens, ex uno tantiſper Caule dependerit, ſic unus DEUS in Tribus Perſonis, & Perſonæ Tres, in uno DEO, conterminatim coaleſcunt.*

Pag. 2. l. 20. Collegamque, *&c.* Innuit eruditiſſ. conſultiſſ. ornatiſſimumque *LEOLINUM JENKINS* eq. aurat. Coll. *Jeſu Ox.* Principalem, ibique, Suæque Patriæ *Glamorgienſis* ampliſſimi Benefactoris; *Lond.* Curiæ Admiralitatis, & Cantuarienſis, Judicis ſupremi; necnon nuper ad Chriſtianiſſ. Regem. *Ludovicum* 14. pro Rebus componendis noſtræ nuperæ Reginæ Matris, *Oratorem*; ubi, non modo publicos à Primoribus *Galliæ* Doctoribus Applauſus, ſed ab ipſiſſimo Rege Hoc indelebile reportaverit Elogium, *Eum præpollere Miniſtrum, Qui vel ad potentiſſimorum, Prudentiſſimorumque Regum ſanctiora conſilia, digniſſime co-optaretur.*

Pag. 3. lin. 10. *Wallia* dicta Saxonicè *Gualia*, à Gaulis, & apud Gallos, vel hodiè, Princeps de *Wales, le Prince de Galles* appellatur.

Lin. 23. *Patricius Curwen*, nuper Baronettus de *Workington.*

Lin. 24. *Philippus Muſgrave* Baronettus, ex antiquis Angliæ Baronibus *Muſgravis* oriundus.

Lucii deſcendentes ab Illuſtribus Romanis, præportant in ſcuto *Tres Piſces*, quos Romani *Lucios* appellant; Qui *Lucii* ante ingreſſum *Conqueſtoris*, Angliæ heic viri perquam memorabiles extiterunt; à Quibus, & illo *Richardo Lucie* Barone, tempore Regis *Stephani*, deſcenderunt Illi *Lucii* perantiqui *Barones* de *Cockermouth*; & ab Illis, Rectâ longiſſimaque Lineâ deſcendit eruditiſſ. & conſultiſſimus ille Patriota Dom. *Richardus Lucie* de *Charlecot* Armig. & in hoc Angliæ magno Parlamento Senator, omniumque *Luciorum* Principale caput; Ipſiuſque Frater D. *Fulco Lucie*, eques auratus, & avunculus Ipſorum, perquam Reverendus, ac juxtà omnifariam eruditus D. *Gulielm Lucie*, D. Epiſcopus *Menevenſis*; Et honorabilis Ipſorum Conſanguineus D. *Kingsmill, Lucie* Baronettus (& alii non heic tam curto margine comprehendendi) primitùs ab Illuſtribus *Romanis*, & deinceps à primævis, Angliæ *Baronibus*, oriundi.

Pag. 4. lin. 30. murus Ille limitaneus, (vulgò vocitatus murus *Pictenſis*) à Romanis Imperatoribus olim conditus, erat opus prodigioſæ molis, de quo *Cambdenus* multa, necnon miranda refert.

Pag. 5. lin. 5. *Cambden, Speed, Heylin*, erant Hiſtoriographi quondam memorabiles.

Gulielmus Dugdale eques auratus, hodieque Pater Patratus, id eſt Principalis Armorum Rex, vulgò Garter, vir admodùm eruditus, ac juxtà perhumanus, cujus immenſis paſſim lucubrationibus, tum Sacris, tum Sæcularibus, non modo *Varvecenſis* Ager (Ipſius natale ſolum) ſed & tota Britannia ſtatuam debet pluſquam marmoream.

Pag. 8. lin. 3. Vir Inſigniſſimus *Edwardus Walker*, miles, nuper Pater Patratus, jam Sanctis annumeratus; cui Dignitati ſucceſſit dict. *Guil. Dugdale*, miles, hodie Garter, nuper *Norroy*, Quâ dignitate, tituloque fruitur hodiè digniſſimus, & ſtirpis antiquiſſimæ vir ille generoſiſſimus D. *Henricus St. George*, eq. auratus, cujus Fratres honorabiles, necnon equites aurati, *Thomas St. George* (Frater Senior) alter Fecialis Armorum in Angliâ, & *Georgius St. George* Ultoniæ Provinciæ apud Hibernos Fecialis, titulo, dignitateque meritò donatur.

Lin. &

Lin. 8. *Clarentius* Innuit illum virum numeris omnibus ornatiſſ. *Ed. Byſhe* eq. auratum, & in hoc Angliæ magno Parlamento, Senatorem.

Lin. 13. Vir omnifariâ politioris Literaturæ ſupellectile variegatus, Humaniſſ. Ille vir *Eliæ Aſhmole* Armig. diu legum municipalium Juriſconſultus, hodiè Regis Fiſci publici contrarotulator, Et nuper *Windeſoriæ* Fecialis; cujus munio ſucceſſit ornatiſſimus Ille *Guil. Dugdale* (dicti *Gulielmi* militis, Filius) & Uxoris *Eliæ Aſhmole* Frater perdilectus.

Pag. 13. l. 27. Fœmina. Refert ad Illam Generoſiſſ. Heroinam Dom. *Dionyſam Williamſonam* Viduam, Quæ, magnam pecuniarum Maſſam Ædi condendæ Sancti *Dunſtan* in Orientali *Lond.* erogavit, & munera multa præterea non parvi pretii contulit. Ædi cui Præſidet, eruditiſſ. Ille Paſtor, Reverendus D. *Georgius Giffard*, diu SSTB. ergà cujus Structuram, non modo Parochialium, aliorumque Benevolentias allexit, ſed Eam, propriis inſuper Impenſis, Pie, nec, parcè promovit.

Pag. 15. lin. 18. Mores imitata Magiſtri. Innuit eruditiſſ. ornatiſſ. pientiſſ. humaniſſimumque Dominum *THO. TVLLY*, SS. T. D. Aulæ Edmondi Principalem, Sereniſſ. Regiæ Majeſtatis à Sacris, quondam Reginalis Coll. Socium, necnon ſuiſſimi *Joſephi Williamſon*, cultorem perquam cordatum, &c. Cui nuperò ſanctis annumerato, ſucceſſit, Ingenioſiſſimus, ac juxta eruditiſſimus D. *Stephanus Penton*, cujus Natalitiis noſter Ager *Southantonienſis* gratulabitur, Educationi verò Schola Celeberrima *Wickhamienſis* apud *Winton*, (Cujus diutius Archididaſculus eminuit, & adhuc eminet, eruditiſſ. ac omnifariam ornatiſſius D. Doctor *Hen. Beeſton*, Præb. de *Winton*, Regis à Sacris, & antiquiſſ. Nominis, ſuæque Familiæ agro ceſtrenſ. oriundi, complementum.

Qui D. *Penton* ab *Oxonii Collegio Novo* (cujus diu Socius extiterat) ad *Aulæ Edmondi* Rectoratum, per Præfecti, Sociorumque *Collegii Reginalis* ſuffragia, merito co-optatus eſt.

Cæteræ notæ quum ſint minuſculæ ſuis paginis imprimuntur.

BRITISH
3 AUG 71
MUSEUM

Ad Amicum Majorem P. F.
Honoratiſſimi Patriotæ D. JOSEPHI WILLIAMSON,
Laudes, perquàm meritas Carmine Heroico *attentantem.*

COnticuiſſe vetas facunda Oracula Vatum
Piſcator, veterum, *Latias* revireſcere Laurus
Dum facis, ac moliris opus; nunc pectine docto
Tende Chelyn! Non hanc *Thameſis*, nec turbidus Humber,
Nec ſolus lætæ Genius miretur *Itunæ:*
Tranſibit vitrei refluentia Cærula Ponti
Saxonici, *Morinoſque* ſinus; mox audiet ingens
Sequana, *Danubiuſque* ferox, *Rhenique* bicornis
Littora, purpureâque *Tagus* prædives arenâ,
Et *Tyber*, invictis olim circumdatus armis.

Non equidem invideo; ſed magnis gratulor Auſis,
Et Cæptis applaudo tuis, quod inania ſpernens
Commenta, & calamo, cantuque audace *Joſephum*
Laudâſti celebrem, *Quem*, ſi primæva tuliſſent
Tempora, divino vir donaretur honore;
Nec *Mecænati tanto*, Dominoque deeſſent
Agmina *Flaccorum*, vel nomina docta *Maronis.*

O Vates tanto fælix in ſæcla *Patrono!*
Carminibus viret *Ille* tuis; Tu longiùs almis
Illius auxiliis, *Qui* ſic majora canendo
Nomen majus habes; &, dum præconia pandis
Illius, attollis proprias in ſydera laudes.

Iſlington,
Aug. 28.
1677.

Gulielmus Ferrarius,
Aulæ quondam *Clarenſis Cantab.*

In Legationem, & Ampliſſ. Merita (nuper)

EXCELLENTIÆ SUÆ

Jampridem Ter Honorabilis

JOSEPHI WILLIAMSON,

Agri *Cumbrienſis* Equitis Aurati;

Pueri, Coll. Reginalis Oxon. (*ſub auſpiciis admodum Reverendi ſtirpiſque perantiquæ venerandi* Thomæ Lampluigh *D. Epiſcopi de* Exon.) Pupilli. *Tandem dicti Coll.* Socii, *Ipſique Collegio* Benefactoris, Amplificatoriſque *perquam Munifici. Vtriuſque ſuffragiis Academiæ, Legum Cæſarearum* Doctoris. *Aulis Illuſtrioribus Europæ perluſtratis, domi diutiùs inter Patres conſcriptos in hoc Angliæ prægrandi Parlamento*, Senatoris; E Duobus, *Alterius magni Principaliſque Regni*, Statûſque Secretarii, *eòque ad* Secretiora, Sanctioraque Caroli II. *Conſilia cooptati; necnon nupèr ad Illud ampliſſimum generaliſſimumque* Coloniæ Concilium (*juxta Primores Orbis* Europæi *Principes*) *Dom.* Extraordinarii Legati, *Dominique* Plenipotentis, *&c.*

CARMEN GRATULATORIUM.

Quùm poſt Abſentiam diutiorem, deſideratiſſ. Ille Joſephus, *ſub Initium* Maii MDCLXXIV. *amplexanti Patriæ redonaretur.*

Impreſſio Tertia, novis Typis, ac Numeris Redintegrata.

SIC grato cùm *Vere* redis, Aurora futuri
Præſentiſque Boni, Quocum, melioribus Orſis
Spes Anni, Menſiſque redit; tàm *Phoſphore* lætos
Attuleris cum Sole, Dies, Cœloque Pluenti
Suaſeris inſolito plus arridere Sereno,

Aſpice quam! Pictas pubentia paſcua pallas
Induerint; quam! Veſte ſenex Natura renaſcens
Verſicolore virens, jubet ut chorus omnis Amantum
Te ſtipet Charitum! redimitaque Tempora Flores
Floribus accumulent, & Eunti Stragula ſternant.
O Caput Æternis Cœli, dotabile Sertis
Conſpirante Solo! Cui Prata faventia plaudunt,
☞Et TRIADI Sacræ componunt *Symbola* Plantæ.
Ut retineret enim Proavorum *Stemma* vigorem,
Longius, optatam faceretque Nepotibus umbram,
Scuto mane Tuo Primos adolevit Honores
Herbarum Campeſtris Honor, * *Tribus Ille ter-unus*
Floſculus ex Foliis (Hominum, Pecorumque voluptas)
Tempus ad omne vigens, Virtuſque vigentior Herbis.
Utque Triumpharent *Pax* & *Bellona* ſub unâ,
Sede, Coronali Criſtâ *Jovis Armiger* exit,
Ore, *Trefoyliolum* geſtans pro fulmine Gramen,
Fœderis ut *Triplicis* Britonum Te parte Statorem,
Collegamque Tuum, venturo nunciet ævo.
Collegæ ſalvete ſimul! Commiſſio fecit
Nupera Quos *Dominos*; Quos Rex, ac Aurea Virtus
Fecerunt *Equites*; Quos magni *Membra* Senatûs
Suffecit Populus, *Cælebs Par Ambo*, Beatæ
Palma Pudicitiæ! *Docti* quoque Legibus Ambo,
Cæſareis, ſaluete pares! Decus Ambo Togatum
Oxonii! Quod vos, Pueros, viditque *PATRONOS*.
O *Caſtor*, *Polluxque* Poli genuina Britanni
Pignora! diverſo quamvis creviſtis ab ovo
Quæ peperit diverſus Olor. Divortia NUMEN
Hæc voluit, ne fortè *Bonum Commune* ſub uno

Arcta-

Arctarent Elementa Polo. Diſtatis ab Orbe
Sed licet alterutro tantùm, *Septentrio* quantùm
Diſtat ab *Occaſu*, ſonitu, tamen una putetur
Patria * tranſpoſito necnon Synonyma puncto.
Cæſaris Opprobrium timidi, totieſque retuſis
Saxonis in infenſum Gladiis, memorabile quondam
Munimem veterum *Britonum*, Te, CAMBRIA celſis
Eduxit LEOLINE jugis, *Glamorgia* Nymphis
Biſſenis ubi prima præit Rivalibus expers
* *Walliacæ* Regina plagæ. Te clara JOSEPHE
Bifrons Terra tulit gemino quaſi JANUA Regno
CUMBRIA, tot veterum vel adhuc vagina Penatum,
Qui, Sua cum proprio Scribant Epinicia *Stanno*,
Quòd, Juga *Keſvici*, *Boradalæ* quodq; Sororis
Fæta Metalliferis extrudunt viſcera venis.
Ecquis ab antiquis Famam mercabitur Anglis?
Adſit, & heìc Clypeos, effoſſaque Marmora cernet
Romulidum Monumenta Ducum, celebrumque *Brigantum*
Nomina Laurigeræ quondam rivalia Romæ.
Vera quidem quoque *Viſa* loquor, quum ſæpe ſedebam
Porticibus * *Netheraula* Tuis, *Cumbraſque* per oras
Miles, & Hoſpes ego, *Servi-Majoris* obibam
Munia, PATRICIO CURWEN præſente Tribuno,
Necnon MUSGRAVIO Patriam moderante PHILIPPO,
Fixa ſub Arctoo *DOMINANTIA LVMINA* Mundo.
Heu Sydus *Boreale!* Forum tot ſæcula Martis!
Et paſſim dubii Pila, parque Palæſtra Duelli
Intrantum toties variis Exercita Pugnis,
Quorum vulnificos hodie reminiſcitur Enſes.

* Cumbria Cumbria.

Nigrior Ille dies *Patrio Carbone* notandus,
Quo ſpoliatus Agris, & ſedibus actus Avitis
Sceptriferos mutârat heros *Aquilonicus-Humber*,
Et contenta *Novi* nudo prænomine *Caſtri*,
Perdiderat primos bellatrix *ORREA* Portus.
Pulvere tecta ſuo mox *WESMORLANDIA* mærens
Sedit, & effuſo lachrymarum flumine, Fontes
Kandalis imbrificans, Torrentibus addidit undis.
Cui, Soror infandos exponens CUMBRIA Caſus
Syrmate verrit humum, Sparſos laniata Capillos
Exanimis, vix viſa ſuo ſupereſſe Sepulchro.
Tunc, LUGUVALLI grandævæ Funera Matris
Flevit *Carleolum*, Pubeſque peroſa Catenas
Barbaricas, priſcæ pro Libertatis Amore
Sanguine Natorum Sceleratum, tinxit *Edenum*;
Et Regni *Paribus*, (quoque Piſcibus) Ille Canalis
Nobilibus * *Luciis* COCKERI decolor Amnis
Cædibus irrubuit, deerantque cadentibus urnæ
Stratorum Cumulis, Colleſque tegendo Sepultos
Communem fecere Torum: Tam dura domari
Occidui-Borealis erat pars Iſta *BRIGANTVM*,
Præ Reliquis, Qui *Marte* Focos, Araſque tuentes,
Ultima Saxonico cecidere Piacula Ferro.
Illa *JOSEPHE* Tibi Pubes Fortiſſima plaudet;
Illa, pharetrigeris Quæ prima repagula *PICTIS*
Et rata SEPTIFIDO poſuit Contermina Sceptro
CVMBRIA, præteritis, Quæ *Kimbria* cognita Seclis,
Teutonidum ſtabilem retinens ab Origine ſtirpem.
Hinc Tuus Indigenâ Pes non remorandus arenâ,
Tranſgreſſus Patrii vaſtiſſima Rudera * MURI,

(Rudera

(Rudera Romulidum longe Molimina Regum)
Germanos Atavos alio ſub ſole jacentes
Pulſat, & antiqui repetit Cunabula *Cimbri*.
Dicite vos Docti, Senior Quos protulit ætas,
Voſque Modernorum *Quaternio Docte* Britannûm
(*Camden*, *Speed*, *Hylen*, cum * *Dugdale*) dicite dudùm
Quantulus Anglus erat, quùm *Cæſar*, *Saxo*, ſequenſq;
Cimber, ab adverſo venientes Littore, paſſum
Puppibus umbrârunt pelagus, *Thamiſiſque* lucunis
Excedens ſolitis, Riparum vincula rupit
Hoſpitibus nimis arcta Novis. Tunc *Naiades* undæ
Terrarum flevere vices, doluitque *Sabrina*
Cum Lacrimis compulſa Suis potare *Viſurgin*,
Et Fæces tumidi Quas tunc abdomina *Rheni*
Turbato vomuere vado. Tot ſæcula, *Cimbri*
Graſſatus ſine lege furor; tot, *Saxonis-Angli*
Sævities, laceri Membratim Corpora Regni
Ceù *Metii* diſcerpſit Equis. Sed longius Ævum
Quos juxit ſub lege pari, pacalis Olivæ
Fronde coronavit, Sertiſque redimit adauctis
Noſtra Dies utriuſque comas, ſub utroq; ſerente
Te Palmas, Lauruſque Solo. Gratamur *Amicis*
Hinc *Danis*, olim Dominis, & amamus honoros
Hengiſti Cineres, & ejuſdem Pulveris *Horſum*
Quorum, hodiè Pars magna ſumus: tàm *Cimbria* Noſtris
Semina ſparſit Agris, ac idem Sanguis, Idemque
Cor Incarnatos cum *Saxone* miſcuit *Anglos*.
Nec dirimit Natale Solum, dum *Saxone-Cimbro*
Te Duce, longinquis Fratres convenimus Oris,

Suſpicimuſque palàm Patruos, & in ore Nepotum
Præſentes veneramur Avos. Brevis ergo vetuſtis
Linea Coſmographis, & iniquâ Temporis Æram
Lance Chronologici trutinant, tot Luſtra locantes
A quibus, Angliacas *Saxo* penetraverat Arces,
Saxonis aut Soboles *Almannas* viſerit Urbes:
Saxona Congeneres *pridiè* viſiſſe Britannos
Competit, & *Cimbros* prope conſediſſe Sicambris,
Quùm Comes *Auſtriacis* Aquilis *TVA* mitior *ALES*
Sederat, & medium Pennis libraverat Axem;
Frigore ne *Boreas*, fureretve caloribus *Auſter*,
Utraque ſed ſolitum ſervaret Zona Tenorem.
Majorum de Gente Redux Celeberrime ſalve!
Par Eques, Auratis titulis, & Major ab amplis
Miles *Io* Meritis! *Muſis* & adorea *Marti*;
Quem, Gentilitii manifeſtant Symbola Scuti
Magnanimum, *Mitemque* ſimul, dum fronte, *Volucris*
Culminet *altivolans*, & Scuti corpore, *Flores*
Compoſitis ſedere comis. * Hos fecit Honores
Rivali Natura Suo, Qui, Comptior Ipſis
Floribus, & Flavo Campo fragrantius halans,
Ver Sibi, perpetuos Virtutum ſpirat Odores.
Injuſtè querimur jam Ferrea ſola manere
Sæcula *Brutigenas*, & nil ſupereſſe cadentis
Aſtreæ, totamque polo migrâſſe *Minervam*;
Scilicèt ad Britones remearunt Aurea Secla,
Ex quo, priſca Patrum Fides, & Reverentia Veri,
Et Pudor, & Probitas, & (Turba Novena) Sorores
Sede remigrantes ſolitâ; ſub *Pectore Veſtro*
Palladium poſuere Novum: tam Concolor Annis
Candor,

Candor, & incocto Generoſum ſemen Honeſto,
Cum Cunis crevere Tuis. Vix Scamma Scholarum
Tranſiliit puerilis apex, & *Cyrrha* fodinis
Pierias patefecit Opes, Gravioribus aptus
Quam Studiis, graviora ſapis; Cui, rectus Olympi
Curſus, & Aſtrorum leges, & origo Profundi,
Terrarum quoque clauſtra patent, quà cernitur omnis
Quid Divina jubet, vel ſuadeat Ethica Virtus.
Hoc erat a teneris primam tornare juventam,
Ut celer Authores (Quos commendaverat ætas
Doctior) antevolans, pennatâ mente, notares
Quâ *Criſpus* brevitate placet; quo pondere *Varro*;
Quo Genio *Plautus*; quo Flumine, *Quintilianus*;
Quam ſolidoque ſtylo *Tacitus* ſua Chronica ſculpſit,
Digna Scienda Sacris, ac inſinuanda Monarchis.
Maturo mox *Mane* Viro, Tibi luce reſurgit
Splendidiore Dies, *Primique* Scientia *Juris*,
Cujus ad Archetypon, major componitur orbis.
Tunc latebroſarum reſeranti Scrinia Legum,
Velaque pandenti per Abyſſi clauſtra Profundi;
Bartolus tibi clavis erat; Palinurus, & Aura
Bartolus; *Balduſque* ſuæ Duo Lumina Spheræ;
Et Cynoſura micans Gallo *Cuiaſius* Orbi:
Ut Pandectarum Puteis, *Quæ Vina* vetuſtas
Condideratve Cadis, Tua *Promuſconde Joſephe*
Indoles *hauriret*, Patriiſq; *refunderet* Anglis,
Sol utì, qui radiis ſic imbibit Æquor, ut Illud
Imbribus egereret, quibus, arida viſcera terræ
Irriget, imprægnetq; graves uligine Glebas.
Te nec *Heraldorum* veteres (ignoſcite Vates

Vulgarĩ

Vulgari ſi more loquar) latuere Magiſtri,
Nec Quos præfecit Clavo Præſentior ætas
In Regum, Procerumq; Decus. * *Walkerus* Equeſtris
Ordinis, Antiſteſque Chori Fecialis, Honores
Lance Patronymicos, Complexaq; Nomina Pendens,
Willhelm-ſonne Tuum longo ſcrutatus ab ævo,
Confirmat Ceras, & Scuta, *redintegrat*, Olim
Quæ Proavi geſſere Tui. *CLARENTIVS* Illa
Comprobat *Vptoni* ſpinoſa Volumina *BYSHVS*,
Qui Critico diſpunxit Acu. Rex inde Trionum
DUGDALUS, Angliaci Chorus, & Cortina Theatri,
Ex Animo Tibi plaudit ovans, & Gaudia Docto
Dividit *ASHMOLEO*, certus, Te Soſpite, ſtare
Firmius Heroas, Quas ſic Complecteris Artes.
Indè (Polyglotes Patriæ rediturus) *Vlyſſes*
Longiùs egrederis, Populos emenſus, & Urbes,
Ut ſimùl Ingenium, Ritus, Legeſque Locorum
Conciperes, capereſque tenax compendia Vocum
Nec ſine Luce Labor, *Tibi* dùm Globus Ipſe, Globorum,
Arbiter, ad punctum, Chartas introſpicis omnes,
Ac Intellecti *Compreſſa Volumina* Mundi
Par Oculis, Animoque Legis; Peregrèque profectus
Sic Homines, diſciſque Libros, ut utroſque doceres,
Et Doctis Paradigma fores. Hâc Indole, Gentes
Concipis Intuitu, Semoto Interprete, callens
Grandiſonans, Quid *Teuto* tonat, qui Fulmen in Ore
Præportat, ſed Fronte Fidem. Quos *Ittalus* edit
Nec Mentem latuere Sales, moderataque Menſæ
Luxuries lautæ; nec *Iberæ* Pondera Gentis
Conſona Cui *Latiæ* præ Cunctis Lingua Loquelæ.

Tecum

Tecum *Galla* loqui, Tecum *Facundia Romæ*,
Grajugenæque velint, *Valgi* vetus unde polirent
Ad Normas *Idioma* Novas, & Mella Modernis
Exprimerent potiora Favis. His *Docte Magiſter*
Artibus Excellens, & Conſummatus ad omnes
Aularum, *Statuumque* Modos, Prægrande Theatrum
Plenipotens intras, Primi *Legatus*, Honoris
A Magno mandatus Hero. *Germania* fælix
Heroum Genitrix; & *Agrippa-Colonia*, REGES
Quæ TRES à longo Sacros celebraverat ævo,
Illum jure Diem Feſtis Ferialibus addat
Quo, tot Magnificos vidit ſub *Imagine* Reges
Per *Delegatos* Majorum More Sedentes.
Additus His, *CAROLVS* Rex Auguſtiſſimus Anglus
(Orbis Amor, pariterque metus) dignatus adeſſe,
Et Veſtro *Procul* ore loqui, Geminique Miniſtri
Obſide, ſe tremulo Columen ſupponere Mundo.
Agnoſcit Præſens, & fortè fatebitur ætas
Poſtera, diviſim quot tunc *Europa* vacillans
Vergerat in Partes! & quàm Diademata Regum
Perſtiterant *Britonum* Sedatìm Lancibus æquis,
Eloquio librata Tuo! Cui, Conſtat abundè
Regna Bonis ſurgant, Quibus & detruſa retorſim
Peſſundent labefacta Malis: tam Sedulus, omnes
Diſcutis Hiſtorias, Exemplaque digna Potentum
Colligis, & Proprios Prudens diſponis in Uſus.
Haud ſecùs Hyblæis hauſtas ubi vallibus omnes
Induit Annus Opes, ſolitoſque reſumit amictus;
Mane ſalutantes, querulo cum murmure, paſſim
Florilegæ funduntur Apes, & ab omnibus agris

Mella reportantes, crepero ſub Veſpere, crura
Plena Thymo, redeunt, ut Cerea Caſtra coronent.
Sic Operæ Conſors, dùm conficis *Ardua Regni*,
Præſentemque Domi Te poſtulat *Aula*, remotis
Finibus *Europæ* Mens circumvecta moratur,
Et longùm ventura videt: Momenta revolvis
Unde, Togæ, Bellique vices, Regiſque Saluti
Proſpicis, à Patriis arcens Incendia Tectis.
O quoties! tenero quùm nondùm Phœbus *Eoo*
Æquoreis remeâſſet Aquis, ſtans Turba Petentum
Obvia Sollicitis ambirunt Atria Votis;
A Quibus Obſeſſus, *mellitâ Voce* vel Ipſos
Obſidione tenes; & pro ratione Virorum,
Vel Methodo Rerum, Moderata Petentibus, Æquus
Annuis, Idque negas Quos mox fortaſsè pigeret
Conceſſi, minimeve foret Conforme Mereri.
Publica ſic Proprio præponens Commoda Lucro,
Publicus appares; nec Te licèt Agmine Curæ
Circundant, vigileſque jubent percurrere Noctes,
Vidimus iratis ſtringentem Lumina rugis.
Blanda Serenatam mulcet Clementia frontem,
Totaque per Mites diffuſa Modeſtia Vultus,
Dum conſtet Mens (non velis inflata Secundis,
Adverſis nec preſſa notis) Moderamine miro,
Par ſemper, ſimiliſque ſibi. Sic Flumina quamvìs
Ad Mare collectum deportent ritè Tributum,
Et Vectigales ſolvant ad Littora Fluctus,
Id *Nereum* ſentire pudet, nec lenior alveo
Deſicit, aut tumido ſtagnat torrentior æſtu.
Talibus *Exundans* Meritis, *Pharus* ecce! videris,

* *Scydithio* de Monte nitens; Exemplar Honeſti;
Virtutum Collectus apex; Venerabile Regni
Pignus, & Indigenis Nomen peramabile *Cimbris*.

* *Cumbriæ* necnon *Angliæ* Mons altiſſ. & Septentrionalis *Teneriffa*.

Nec minus id Meritis Memorandi Nominis addit
Illimis Pietatis Amor, cunctaſque coercens
Relligio ſub Lege Vices, dum Cæca peroſus
Dogmata, & inſanæ damnans Deliria Turbæ,
Supremum purâ veneraris Mente Tribunal.
Nempe vel à Puero Virtutum Caſtra ſequendi,
Ac Charitum Tibi Cura fuit, Cui, Mollia nuſquàm
Ubera porrexit *Circe*, nec fœda *Calypſo*
Invaſit validos vitiis Juvenilibus Annos.
Nec Tibi quùm vacuis Aulæ ſeceſſeris horis
Sic ſteriles abiere Dies, ut inania Lucis
Otia, futilibus fraudarent *Seria* Nugis;
Dum Manus omne movens, vel ab omni percita Motu
Enthea Mens, ſcribis Seclis facienda futuris,
Ac itidem ſcribenda facis. Mandata daturus,
Ipſe Capis, quantoque Tuis ſis Major Honore,
Obſequio cupis eſſe Minor. Reminiſcitur Aula
Munia pro CAROLO geſſiſti qualia Rege,
Sive Domi, fueraſve foris; quùm ſtellula primùm
Fulſiſti *Gallis*: vel quùm Sol Major Olympo
Miſſus ab Angliaco, radiis *Teutonica* paſſim
Littora luſtrâſti, quà Tu Legatus (Honorus
Et *Collega* Tuus, Cujus Melioribus Acta
Commendo Calamis) numeroſo Conſule, Conſul,
Cingeris, abſciſſas ſatagens connectere Partes
Sedulus, & Veteres Regum ſopire Querelas.
Hinc *Anglo*, Conjunctus *Iber*, & utriſque *Batavus*

Tres numero, Gens una ſumus, *Triplicique* potiti
Fœdere, miſcemus Merces, Animaſque fideles
Invicem, ab alterno timidi diteſcere damno.
Hoc tibi *devinctas* feciſti Fœdere *Gentes*,
Dum Tua nil cæcæ debens Induſtria Sorti,
Se Solùm *Meritis*, & *Regum* debet Amori.
Eſto, Genus jactent Alii ſublime, Sibique
Debendam pariter Famam, Fundoſque Paternos
Æquali de ſorte crepent: Sors Veſtra * *Sub Vmbrâ* Ipſius Motto perquàm verecundus.
Alarum ſecura ſedens DEUS alme *Tuarum*,
Te *Reginales* admiſit primitùs *Ædes*.
Induit undè *Domûs Aquilas*, ac Alite Dextro
Pluſquàm Dædaleis perrupit Nubila pennis
Ingenii pernicis apex, Planumque futuris
Ingeniis, aperivit Iter. Sic *Docte Joſephe*,
Non Tibi, ſed *Populo*, *Patriæque*, *Tuiſque*, Beatis
Naſceris ominibus, Memorandi Nominis impar
Cumbriaco Coryphæus Agro, Qui Dotibus annos
Exſuperans, Meritiſque fidem, poſt terga relictis
Tot paribus, Virtute præis, Palmæque *Priorum*
Æmulus, æternæ ponis fundamina Famæ.
Nec penes eſt Mortale Genus, Fundamina Famæ
Moliri meliore Luto. Teſtabitur Illud
Fundamen *REGINA* Tuum; Regina, Lycei
* *Belloſiti* veneranda Soror, Quæ ritè reponet *Oxonium* ſic antiq dict. *Belloſitum*, quaſi *Belleſitum*.
Te, cum Principibus, priſcique Potentibus ævi
Co-fundatorem, longoſque loquetur in annos
Magnificæ Benefacta Manûs. Vos prima volantûm
Alituum Pennata Cohors, ſubmittite plumas
Quas *Domino* debetis Aves; & cede parumper

Eagleſ-

Eaglesfeilde, Parens Aquilis, ac Ædibus Idem;
Et *Beaufort*, Regum Stirps, & Regina *Philippa*
(Quatuor ut conſtet Fundatio firma Columnis)
Cedite, Ternalique Choro, ſtabilite *Joſephum*;
Cui, jam plena Domus pandat cum Pectore, Portas
Amplius, exultetque novo fruitura Patrono.
O Pietas! propè Sola potens penetrare *TONANTIS*
Limen, & Impoſitæ ſuperaddere *Pelion* Oſſæ
Titanum nil ſulta Manu: Sic itur ad Aſtra,
Sic Cœlum *Rapimus*, Superaſve *Paciſcimur* Arces;
Agmina quando *Operum* ſuccenturientia, præſto
Ductricem Comitata *Fidem*. Quos fœta beavit
Innumeris Fortuna Bonis, procul ite Dynaſtæ,
Terrarumque Duces Qui tota Talenta *Tabernis*,
Aut *Tenebris* damnatis Opes, *Fœnuſque* futuro
Audetis ſperare Die. Procul ite Locuſtæ
Vos Pecus ignavum Fruges Conſumere Nati
Fœtentis Fæx, & Squallentia Stercora *Terræ*,
Vix fœcundandis ſpargenda Cadavera Glebis.
Vos quoque dedigni prorſus Calcaribus Iſtis
Quæ geritis, nitidoque (latus Quo cingitur) Enſe;
Cur *Trabis* immemores, vos pars rudis unde dolati,
Colla ſuperba polo pictarum more Volucrum
Tenditis, & tumidas Titulorum panditis alas?
Degeneres Animæ! Quæ nil virtutis habentes
Majorum, laceram de *Conqueſtore* petitam
Sarcitis Seriem, ſtolideque citatis Avitas
Arentes Laurus, & Inanes Nominis Urnas.
At Stator, & Veterum par *Reſtaurator* Avorum
Ille, Manuductus ſtabili (Præeuntibus Aſtris)

Virtu-

Virtutum per Templa Gradu, patefecit Honori
Limen hians, ubi Viva Suis Monumenta locavit,
Nec Moritura ſibi, Boreali ſydere, paſſim
Auſpiciis plaudente piis. *Aquilonica* Pubes
Eaglesfeldiadum, quà *Weſtmorlandia* Mater,
Ant Soror Implumes excluſit *Cumbria* Pullos,
Latiùs ardentes *Aquilino Lumine* Solis
Jam penetrent Radios, & Nidos Nubibus æquent.
O Vir Marmoreis, Uatum digniſſime Templis!
Qui vatum Delubra ſtruis, mediiſque Ruinis
Altius attonitam cogis conſurgere Molem.
Poſteritas, admitte Fidem, Res mira relatu,
* *Williamſonorum*, vel ab uno Nomine, *Binos*
Phœnices, hodiè fætos peperiſſe Britannos
Semine diſſimiles, necnon Diſcrimine Sexûs.
Fœmina, *Londini Dunſtanam* Cælitùs Ædem,
Et Conſopitos Cineres revocavit ad auras
Vitales, Doniſque palàm Splendentibus auxit.
Mas Cælebs, vitreos ſobolevit ad *Iſidos* Amnes,
Quà Puer, imbiberat tam Lac, quàm Pocula Lucis;
Heìc, *Reginales Ædes* (Habitacula nupèr
Arcta Prophetarum) Spatiis diduxit adauctis,
Tectaque, non parvo ſumptu, de pulvere traxit
Plurima, *Proventuque* Novo, *Genioque* Beavit.
O *Donum!* Faſtis Memorandum ritè futuris,
Quod, ſi ſpirantes Silices, & Saxa Diſertis
Nunc Animata Sonis, in Poſtera Secla ſilerent;
En! ex veſtibulo, ſolidis inſciſa figuris
Clamarent Symulachra Domûs, Matremque monerent
Ut *Grandæva*, Loci formas, Moreſque vetuſtos,

Vide Pag. Præliminarem.

Quæ

Quæ quoque cana Dies fixit magis *Apta Notatu*,
Traderet, ignaroque tenax oſtenderet ævo.
Hinc, *Tuba*, Collegis (Quæ nunc *Argentea* totum)
Prodroma Pranſuris, veſtræ ſtans debita Dextræ,
Elogium reſonabit ovans, quia TANTA, Tubarum
Vocifero ſine Teſte facis. *Potabile Cornu*
Temporis antiqui Donum, Tua Dona *JOSEPHE*
Convivis Hodierna canet, tot *Vota* Saluti
Suffundens, quot *Pocla* Tuæ. Sin Advena poſcat
Pocula Quæ fuerint meliori Cuſa metallo,
Heic ſatis *optato* ſua guttura proluat *Auro*,
Sufficiatque ſiti. Sin mox *Argentea* poſcat
Pondera *Lemniacis* Quæ conformata caminis,
Heic quoque, *Crateras*, *Pelves*, *Pateraſque* videbit,
Vaſaque Sacrati Ciſtis Servata Sacelli:
Heic itidem *Libros*, & multa *Volumina* Patrum
Diverſis educta plagis, *Manuſcriptaque* cernet,
Iconeſque Ducum, celebrumque *Numiſmata* Regum,
Omnia Munificæ dudum Donaria Dextræ.
Utque per *Oxonii* Collegia cuncta coleris,
Sic *Reginales* apud *Ædes*, fœdere facto
Te propiùs *Vicina* colent. Fundamen honorum
Wickhamii; læto Tibi Fauſta precabitur ore,
Reginæque Domo poſtponens Nomen Avitum,
Hanc hodiè nitidam, totamque vocabit amœnam,
Nec minimâ de parte *Novam*. Uenerabilis Aula
Edmondi Niveos mores imitata * MAGISTRI
Candenti ſub fronte nitens, Tibi ſerviet albis
Cincta *Miniſteriis*, Ancillæ more ſequacis
Reginæ placitura Suæ. Ceù Turtur in Umbris

Ædes

Ædes Sancta Sedens *Sancti* cognomine *Petri*
Sponſæ Capta Suæ ſpecie, dabit oſcula fronti
Jam propè Contiguæ, ſolitoque procacior, arctos
Ibit in Amplexus, *Nolis* Modulantibus ultro
Connubiale Melos. Propriæ ſic limine Portæ
Te Proprium laudabit Opus, quia Porta patebit
Ad Laudes *vel ubique* pares. Fas ergo *Joſephe* eſt
Ut quùm Condideris Patriis *Altaria* Muſis,
Muſarum Tibi *Thura* ferant; & Imago doletur
Ex Saxis Quæ Dextra dedit; Pennæque petantur
Ex Geminis *Aquilarum* Alis, Quibus, Æquius, Actus
Scribat Fama Tuos, Nomenque Inſcribat *Olympo*.

Quod cenſet æquiſſimum,

Vobis venerande *Præpoſite*, *Sociiſque* Coll. Reginalis devotiſſimus *P. F.* veſtro quondam Coll. ſub perquam Reverendo D. *Barlow*, Pupillorum minimus; & veſtro Comit. *Cumbriæ* ſub Baronetto *Curwen*, olim militum Serviens-Major.

Ut

UT Vacuitas ſequentium Paginarum ſupple-retur, Hoc Elogium Sepulchrale CAROLI HOWARD; heic, cum chariſſimo ſuo Compa-triota JOS. WILLIAMSON, non inconcinne, nec inconſulto conjunxi. Quod ſi quis Pragma-ticus percontatus ſit, cur Hæc Vivo ſolvuntur Juſta, Quæ ſolum debentur Mortuis: Sciat Iſte Curioſior Percontator, Carolum Quintum Fu-nebres Ipſius Exequias ſibi Vivo Perſonatas præ-ſentius aſpectaſſe; nec paucos è noſtris hodie ſupereſſe, Qui Sua Monumenta Sepulchralia Sibi vel hodie vivis, collocaverint. Ad Exem-plum Quorum (ne laudes tanti Principis, Muni-ficique Mœcænatis laterent Poſteros) Hæc a rumore toties inculcato (quamvis falſo) Mortis Hujus Herois, Quæ dudum raptim Scripſeram, nunc deliberate, Typis Publicis heic Exaravi.

Viro Majorum Titulis, ſuiſque Meritis Inſigniſſ.
Et tam propter mellitiſſimam Morum Conſuetudinem
Quàm Dias Animi Dotes, virtuteſque ſuſpiciendo,
Conſultiſſ. Generoſiſſ. Humaniſſimo, Honorabilique

D. GULIELMO HOWARD

Eruditiſſimo Legum, literarumque diu Graduato,
Et idcirco nuper Sereniſſ. Caroli Secundi
A CONSILIIS;

Hodieque florentiſſ. Inſulæ Jaimaicenſis,
Et Inſularum, Coloniarumque Charybdenſium
Supremo Dom. CANCELLARIO, Juſtitiarioque Capitali.
Nobiliſſ. Edvardi *nuperò Baronis de* Eſcrick,
FILIO;

Nobiliſſ. Thomæ *præſentis Baronis de* Eſcrick,
FRATRI;

Ter Illuſtrium HOWARDORUM primorum Norfolciæ *Ducum*
PRO-NEPOTI;

Nobiliſſimorum Comitum, Vicecomitumque
Nottinghamiæ, Suffolciæ, Berciæ, Carleoli, Norvici, Staffordiæque
CONSANGUINEO;

Necnon Omnium quaquaverſus quotquot HOWARDORUM
ORNAMENTO.

Hoc Elogium ſui Fratris Caroli Howard *comitis* Carleoli
(*Hodieque Proregis, ampliſſimique* Jamaicenſis, *Inſularumq;*
Charybdenſium *Gubernatoris, &c.*
Officioſiſſme dicat, devovetque P. F.
Olim Militum Serviens-Major.

Elogium

ELOGIUM SEPULCRALE

Nobiliſſ. Conſultiſſ. Fortißimique Satrapæ

CAROLI *Comitis* de CARLILE, &c.

Peregrinis, & Poſteris.
Si neſcias Advena cur hoc fleturiens deſudat Marmor,
Edoceberis,
Quod heìc, Illunis, *Stella*, Terris exciderit.
Stella *Septentrionalis*, Ibique *Temonis* Auriga *Carolini*.
Geminæ Provinciæ Jubar, & Genius;
Suorum Præfectus, & Sui.
Authoritate Magnus. Obſequio Major.
Seipſo Maximus,

Carolus Howardus.

Carolus, Gratiâ Regali,
Comes *Carleoli*, Vicecomes *Morpeti*; Baro Dacres *Gilſlandi*.
Carolus Affectu Nativo,
Cor *Cumbriæ*. Popularium Pulmo. Numen *NAWORTHI*;
Quà Præſentior adfuit, & Interfuit,
Filius, & Hæres. Cœlebs, & Sponſus. Pater, & Avus.
Conjugis Amor. Spes Pignorum. Fides Nepotum:
Quibus Præfuit, Idemque Profuit
Dominus, & Parens. Præſes, & Princeps:
Heros Majeſticæ frontis, itidemque Perſonæ;
Vir ad Artem compoſitus, nil habens Artis;

Corpus Pancraticum. Syſtema Syderum.
Naturæ Complementum.

Quid plus vis Viator? Genus inquiris?
En! Egerminavit ex *Howardorum* Stirpe Ducali
Stirps altera.
Effronduit ex Nobiliſſimo *Norfolciæ* Libano
Cedrus Æmula;
Quæ longùm florida Saltubus exſurgens *Aquilonicis*
Rivales *Orcadum* Polo, *Thuleq*; Pelago propagavit Ramos,
Nè per Britanniam vacaret Inſignior Angulus
Quo, non nidificantes *Howardorum* culminarent *Aquilæ.*

Quid ultra? Petis etiam *Vitæ* Compendium?
Sub dubio Sydere, dubium Fatum ſubiit, ac Fortunam:
Primitùs *Scotiâ*, deinceps *Angliâ*:
Par utriuſque *Paleſtræ Pila*, nec impar ſub utroq; *Periculum.*
Ut Avita nempè Patrimonia
Sequeſtrali damnanda *Decreto*, Dextrâ Redimeret,
Siniſtrâ Fidem Senatui ſignavit;
Foris, in communem conſulto cadens *Scyllam*,
Ne damnoſiores Domi *Charybdes* incideret.

Sic Adoleſcens,
In Ludo *Martis* primo proluſit Prologo,
Sed mox Mutatâ Britanniæ Scenâ,
Mercurius alio Spectandus Theatro,
Sub *Carolo* Secundo prodiit Actor è Primis,
Secunduſque Nemini.

Inter Comites Sanctioris *Ipſius* Concilii
Co-optatus Comes.

Ad

Ad Supremum Parlamenti Conceſſum
Citatus Strapa.
Ad Potentiſſimos Europæ Principes,
Bis Princeps Legatus.
In Maximi Momenti Suſcipiendis, *Hermes.*
In agendis, *Dædalus.* In Conſummandis, *Apollo*;
Undè latiùs illuſtraverat
Coronæ Splendorem. Regnorum Pacem.
Penatum Dignitatem.

Sed Proh! Fata magnificis ominoſa Cæptis
Quæ medio Vitæ, Gloriæque Curriculo
Properantem ſtiterunt Orbitam,
Ipſumque vel heic in Terris, *Cælo* Candidatum,
Cœlituum Choris heu! cito nimis aſciverunt;
Dulce Suorum Deſiderium
Magno *Carolo*; *Cumbria*, Dynaſtiſque *Britanniæ*
Propè, Diſſiteque Condolentibus.

Ad perennandam, lateque Proſeminandam
Tanti Principis, Mœcænatiſque munifici Memoriam
Hoc fleturienti Calamo, Quod dudum ſuffudit Elogium,
Publicis nuc Typis Impreſſit, Poſteriſque conſecravit

Author.

Oratori Poetæque præpollenti, & Antiquitatum Studioſiſſimo
Hujus Heroici Carminis Authori Majori P. F.
Fælicitatem apprecatur C. B.

ELucubratum Quod ad me miſeras Poema, perlegi. Poema purè Mellitum ſine Fæce, Genuinum ſine Fuco, quodque plus eſt, Poeticarum Fictionum prorsùs immune. Quàm paucas enim Synelephas? Quàm pauciores Tropos, & Figuras (veterum Vatum malè peccantium Suffugia & Aſyla) per totum Carmen offendo? Non opus eſt igitur ut Imbelli meo ſuffulciatur Elogio, Quùm Doctiſſimorum Suffragiis innitatur.

Vale igitur mi ſtudioſiſſime Amice, meoque nomine candide ſalutes Tuum nupero contubernalem Doctorem *ROBERTVM FORDE* de *Crewkerne*, virum integerrimè Cordatum, morum mellitiſſimum, linguæ fluide facetum, Judiciique deliberati Doctorem Rei Medicinalis, & a fratre ſuo famoſiſſimo Doctore *DAWBENEY O TVRBERVIL* oculatiſtorum quotquot Anteſignano) oculatiſtum nemini ſecundum.

Vale iterum mi Colende Vir, faxitque Fortuna propitior ut ab Anguſtiis Tuis tandem emancipatus, licentia pedum pluſquam Poeticâ, liber uteris.

Quod animitus exoptat Amicus Tibi Cordatiſſimus

Cornelius Borre, M. D.

Dublini-Hybernus.

Typographus ad Lectorem.

AUthoris hujus Heroica Carmina quæ dudum, vel nuperiùs ſcripſerat, vel ſcribenda deſignat, tandem *complexim* ſub his Titulis in *unum volumen* prodibunt in Publicum.

MArſton Moor, ſcriptum 1645. in 6 Libellos diſtributum.
DEUS & Rex, Rex & Epiſcopus, ad Clerum.
Panegyricum, Chriſtianiſſ. *Ludovici* 14.
Epitaphia nonnullorum Nobilium.
Euchariſticon pro nup. Duce *Albemarliæ*
In Poemata Eruditiſſ. *Edmondi Waller*.
Ad Honorabilem *Carolum Berty*, à *Danis* redeuntem.
Ad Honoratiſſ. *Hen. Coventry*, ad *Suecos* Legatum.
Epithalamium *Tho. Peck*, & *Luciæ Ball*.
Ad Eruditiſſ. *Petrum Pett*, Eq. Auratum, *&c.*
Ad Ornatiſſ. *Tho. Higgons*, Eq. Auratum, *&c.*
Epinicion *Venetum*, adverſus *Turcas*.
In Nuptias Ornatiſſ. *Johannis Wolrych*.
In Adventum Principis de *Ligne*.
In Adventum Regin-Matris, *Henriettæ Mariæ*.
Ad Ornatiſſ. *Juſt. Pagit*, Cuſtodem Brevium.
Ad Dom. Pereruditum *Guil. Petyt*, Int. Templ. *J. C.*
Epithal. *Joſephi* de *Guerra*, & *Annæ Hianſonæ*.
In Hortos, & Hoſpitalitatem *Leonardi Bilſon*, Armig.
Ad Aſtrologum peritiſſ. *Johannem Gadbury*, Generoſ.
Ad Illuſtriſſ. *Carolum Howard*, Comit. de *Carlile*, &c.
Armachanus Redivivus, Oratio Funebris.
Legatio Honoratiſſ. *Joſephi Williamſon*.

The

The Bookſeller to the Reader.

THe Anonymous Author of this highly Heroick Poem, is a Gentleman of an old Knightly Family, and Born to a great Inheritance ſcituate in three Counties, Though (to aſſoyle him from any miſprizion of his own Improvidence) he indeed had neither Finger, nor Foot in either.

By this means, He was forced to Dedicate the firſt part of his Youth to the Wars in Forreign Countries, but the other part (more ſuccesfully to the *Muſes* at Home; Twenty ſeven years being now elapſed ſince He luckily wrote that great Battaile of *Marſton-Moor*, at what time he was Major of Foot to the late Baronet *Curwen* of the County of *Cumberland*; a ſecond Impreſſion of which *Marſton-Moor* (with Truce to his incumbent Studies in Antiquities and Genealogies, and that great Hiſtory of the Tombs and Monuments of *London*) he doth fairly promiſe. In the Interim, This preſent Heroick Poem, ſo highly Received, and Approved, He hath here Printed again, with ſome conſiderable Additions on the County of *Cumberland*, and doth promiſe to Print it *Toties, Quoties*, as 'tis out of Print, That both this, and remoter Kingdoms may more punctually and particularly underſtand the Magnificent Merits of that *Munificent and publick Spirited Patriot* it here Portrayes; To whoſe *Beneficence* the Author doth publickly acknowledge his Life, and preſent Enlargment.

Laſtly Reader, I am to advertiſe Thee, That the Funeral Oration in Memory of the Late *JAMES USHER* Archbiſhop of *Armagh*, Delivered by this Author many years ſince in the Great Hall of *Chriſt-Church Oxford*, will by the firſt convenience be Reprinted in a large Octavo, and publickly ſold by the Bookſellers of *London*.

Farewel.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 3 AU71